



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XVIII. Possítne quis absque veritatis dispendio Maximum peccatorrem se dicere? Dominica XVI. Post Pentecosten. Vade recumbe in novissimo loco. Luc. 14. v. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XVIII.

Possitne quis absque veritatis dispendio Maximum peccatorem se dicere?

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Vade recumbe in novissimo loco. Luc.

14. V. IO.



Ivinam Ethicam Christus hodie tradidit, dum vocatos ad prandium, non pri-
mum sed imum am-
bire locum docuit:
Vade recumbe in novissimo. Quam do-
ctrinam altius imbibens S. Hilari-
rus Pictaviensis Episcopus vocatus
a Papa Liberio ad Concilium, im-
pensè id quæsivit ut federet ulti-
mus. sedit, in terra quidem, quæ
altiorimotu se levavit in altum, &
cathedræ formam exhibuit, in qua
super omnes Spectabilis Hilarius
emineret. Sublimius quid accedit
Urigmano Religioso humillimo è
familia D. Dominici, qui cùm nul-
lum sibi congruum in terra locum
reperiret, sub Luciferi pedibus in
profundo inferni fese locavit, sed
benignissimam hanc cœlo vocem
acepit: *cito cito buc ascende ad thro-
num altissimum, in ipsum cor DEI Pa-
tris.* nimirum si sublimes fieri deside-
ramus, amplectamur humilitatem, b.e.c
enim unica ad supremos honores via
est S. Chrysostomus homil. 66. in c.
20. Matth. Interrogatus magnus ille
Spiritū Magister Balthasar Al-
varez, in quo quis debeat alios su-

pereminere, respondit: si quæris in
quo debeas maximè eminere, dico,
in te valde valde humiliando.
didicit hoc Balthasar à verbis Domini,
qui de se: discite à me quia mitis
sum, ita magnum est parvum esse
exclamat stupens S. Augustinus
serm. 10. de verbis Domini. & ep.
36. ad Dioscoridem: *ad sublimem
gloriam unica via est humilitas, se-
cunda humilitas, tertia humilitas.* Li-
bet proinde quærere: utrum hu-
militatis amore maximum se quis
peccatorem absque veritatis di-
pendio vocare possit, & novissimo
inter omnes peccatores loco semet
deponere, ut æternæ sapientiae ob-
sequatur monito: *Vade recumbe in
novissimo loco.*

Multa sunt quæ svadent, illici-
tum esse Veritatis Studio pecca-
torem nequissimum se proclaimare
& novissimo inter conseleratissi-
mos mortales loco recumbere. Re-
pugnat in primis rectæ rationi, ut
qui teste conscientiâ suâ minus ce-
teris peccavit, dicat se esse majo-
rem peccatorem. certè iniqui judi-
cis partes ageret, qui notorium ali-
quem nebulonem, puta, Judam, Si-
monem Magum, Cerinthum &c.
ideo

§. 2.
Congru-
entia ob-
quas non
licet se
peccato-
rem maxi-
mum ap-
pellare.

S. Th. 2. 2.
q. 16 i. 2. 3.

ideo tibi præferret, quod ex te audierit dicente, maximum esse te peccatorem, quod si ergo absque veritatis detimento alteri de te dicere non licet, pessimum te esse, nec tibi de te licebit id ipsum pronuntiare, dum ratio & conscientia reclamant, mala commissa non esse tam enormia, quam quae ab aliis patrata, fide plusquam humanam constat. Quapropter Thomas Aquinas in eam concedit sententiam, ut veraci humilitati repugnare afferat maximum se dicere peccatorem. *Non hoc requirit humilitas, ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio.*

Repugnat proinde Veritati maximum se peccatorem dicere, cum tamen Veritate DEus magis delectetur, quam ficta ejusmodi humiliatione, & imaginatione falsa, sitque insuper periculum, ne mentendo se peccatorum maximum, hoc ipso talis evadat, quam se nominat, ita definiente S. Augustino ser. 39. de Verbis Apostoli: *cum humilitatis causā mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod e-vita-eras. veritas in te non est.* Certè si Judex à DEo constitutus definire juberis, uter major nebulo Cainus an Anti-Christus, et si uterque clamaret se esse sceleratissimum, iniqui partes Judicis obires, si pro Caino potius quam Anti-Christo ferres sententiam, & hunc præ illo minorem esse peccatorem pronuntiares; ergo iniquus in te ipsum & tibi nequam es, si Caino & Anti-Christo te statuas sceleratiorem, quamvis reclamet conscientia, quae minus te deliquerit, se præ illis incorrupto testimonio profitetur.

§. 3.
Refutatio
priorum
congruen-
tiarum.

Hæc sunt potissimum quae in contrariam sententiam afferri solent, quibus respondeatur, humilem non considerare peccata quae fecer-

runt alii, sed quae facere ipse potuissent; nec esse comparationem cum judiciis humanis, sed divinis, in quibus abyssus multa. Scit DEus, utrum non graviori sordeam scelere, et si illius cognitio me lateat, quam univerfa aliorum DEo Judici displacent flagitia. Nec est ejusmodi error in substantia, (sicut error non est in substantia eleemosynæ, si eadem mendico conferre) cum probabilem pro se causam habeat maximum se peccatorem dicendi ob ea videlicet flagitia, quae commissurus, nisi diuinâ gratiâ preventus fuisset. Nec obstat quod de altero ferre hoc judicium non audeam, maximum illum esse peccatorem, obstat enim lex charitatis, quae requirit, ut semper consideret homo (verba Petri Bleffensis ser. 30.) *quid sibi abest boni & quid aliis adest*, non autem quid virtutis aliis, quid sibi praestò sit virtutis. quod Augustinum attinet, suorum ipsem interpres est verborum, cum addit: *veritas in te non est, nisi ita te dixeris esse peccatorem, ut etiam esse agnoscas.* Et quamvis ex Angelici Doctoris mente non hoc requirat qualiscunque humilitas ut quilibet reputet magis se esse peccatorem quovis alio, requirit nihilominus humilitas perfectissima, ut secundum DEi voluntatem, Christi præceptum, Sanctorum exemplum, Patrumque latam sententiam unusquisque se reputet maximum peccatorem. A Patribus ordiamur.

Audio Sanctissimos eruditissimosque Ecclesiæ Doctores Gregorium Magnum, Hieronymum Doctorem Maximum, D. Maximum Episcopum, Ambrosium, Chrysostomum, Basilium, Bernardum, Anselmum, Laurentium Justinianum, communibus suffragiis & iisdem pœnè verbis definire. Sanctam & Salubrem esse cogitationem, quæ quis

§. 4.
Ratio pri-
ma, cur
quis ma-
ximum
peccato-
rem dicere
se possit,
ab authori-
tate Pa-
trum.

O

Problematum P. Philippi Hartung.

quis novissimo inter peccatores loco recumbit, & nebulonum omnium conseleratissimum proclamat. Loquatur Pontifex Maximus Gregorius: *proprium electorum est, quod de se semper sentiunt, infra, quam sunt.* Nam probatio *Sanctitatis non est signa facere, sed de proximo meliora quam de seipso sentire.* Gregorio accedit Hieronymus ita scribens ad Celantiam ep. 14. *nihil est quod nos ita & hominibus gratos & DEO faciat, quam si vita merito magni, humilitate insimi simus.* suffragatur Hieronymo S. Maximus serm. de S. Michaële: *humilitate pervenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad celum.* *Quisquis ergo cupit divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima se detur.* imum proinde inter peccatores locum svadet Maximus, ut ex imis siamus primi Sanctorum. Melle Ambrosius lib. 3. offic. c. 4. *Viri Christiani est preferre sibi alterum, nihil sibi arrogare.* Fusi S. Chrysostomus eandem exequitur Veritatem Homil. 3. in Matth. & Hom. 33. in Gen. *nihil sic est amicum DEO, quam si quis minimis se adnumeret, estque id caput totius Philosophiae atque Fastigium.* *Minimum de se sensisse tam magnum est, quam res maximas fecisse.* quid clarius? quid eleganterius? quid divinius? audet insuper dicere idem Orator aureus, cetera nihil fieri facinora, nisi minimo se quis loco duxerit: *etiam si quis sibi plurimorum bene gestorum conscientia sit, nisi apud se sentiat, quod omnium sit postremus, nulla eius futura utilitas est ex omnibus suis operibus.* Basilicè Basilius Serm. de Abdicatione pronuntiavit: *studiosè operam dato, ut omnium novissimus sis ac servus omnium, quando ista ratione una veram tibi ac solidam gloriam paries,* non autem illam vanam cassamque. Atque ut idem Doctor scrupulum eximeret, nè dicendo se novissimum

peccaret in Veritatem, pressissimis verbis edicir c. 3. constitut. Monast. non dices mendacium, si te peccatum dixeris. dic potius: *pejor sum reliquis peccatoribus.* Eadem est D. Bernardi sententia Serm. 37. in cant. non est periculum quantumcunque te humilis, quantumcunque reputes minorem quam sis, est autem grande malum horrendumque periculum, si vel uni in cogitatione tua te præferas. Quam ob rem noli te Homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliis quibus, noli uni. Quam sui vilipensionem tanti facit idem mellifluus Doctor, ut serm. 13. in cant. proununtiet: *hoc ego ipsis Virtutibus mirabilius judico.* Bernardi sententiam comprobat S. Anselmus, allegatque illud D. Pauli oraculum: *in Humilitate superiores sibi in vicem arbitrantes, Cujus causam reddit: nè dum se aliis alter humiliat, Humilia-
tio iret alteri in elationem:* breviter & nervosè S. Laurentius Justin. Serm. de S. Jacobo Apostolo: *omnium te minimum arbitrare, quam submissionem vehementer conducere ad impetrandum DEI misericordias;* asserit S. Joannes Climacus gradu 25. *si proximum nostrum ubique ex intimo affectu cordis meliorem nobis esse arbitramur, juxta est divina misericordia.* Habemus ut opinor sufficientissima Sanctorum Patrum testimonia, quibus clarè evincitur, non licitum modò, sed salubre admodum, immo & necessarium esse novissimo inter peccatores loco recumbere. Videamus nunc Sanctorum exempla qui quod docuerunt ore, idem opere demonstrarunt, & novissimum inter homines locum, tanquam omnium vilissimi prensaverunt.

De Sancto Sanctorum DEO-
Homine testatur Evangelicus va-
tes: *vidimus eum despectum & no-
vissimum virorum Is. 53. v. 3.* Novis-
simum

Philipps.
2. v. 8.

§. 5.
Ratio se-
cunda ab
exemplis
Sanctorū.

simum locum elegit in stabulo, novissimum in Crucis patibulo, novissimum in Sionæ coenaculo, ad pedes sceleratissimi sui proditoris. Fuit Christus in omni vita novissimus virorum; jam nunc vero, cum super omnes caelos exaltatus est, fit novissimus ciborum. Cœnam enim Eucharisticam sub vilibus speciebus sub finem usualis cœnæ idcirco instituit, ut infinitam suam Majestatem & glorioissimam humanitatem ad vilitatis punctum redigeret. quid facit sub Eucharisticis speciebus ter optimus maximus JESUS? Humiliat semetipsum sub vilium specierum velo, nullo se & Majestatem suam prodens indicio, imò exponens se omnibus nefariorum hominum ludibriis atque contumelias. quid præterea facit JESUS in Eucharistia? fit obediens & subditus ad vocem cuiuslibet scelestissimi Sacerdotis, ut quoties hic voluerit, illico se sistat, nec discedat, quoad species fuerint consumtæ, quidquid interea illi contingat, aut contingere possit. Quid denique facit Eucharisticus JESUS? vocat, invitat, expectat, esurit peccatores, ut eorum fiat cibus & in vilissimum humani corporis locum, qui est ventriculus, sordium omnium sentina deponatur. Nec illibenter eō deponitur, dummodo suo nos trahat exemplo ad novissimum locum capessendum. Scire se submittere inquit Basilius Magnus l. 3. de abdicatione, *Christum est scire imitari.*

S. Bernardus ser. super signum magnum.

Imitata quam proxime filium est Mater & humilis Domini Ancilla MARIA de qua Bernardus: merito facta est omnium Domina, que se omnium exhibebat ancillam. merito super Angelos exaltata est, que infra viduas & pœnitentes, infra eam de qua fuerant ejecta septem dæmonia, ineffabilis mansuetudine inclinabat. Humilitatem Marianam ex omni-

bus modestissimæ Virginis gestibus & actionibus colligimus. in matrem DEI electa vilissimis Ancillis se componit: *ecce ancilla Domini!* Elisabetham amicam suam obsequiis & Salutatione prævenit: *ecce enim ut facta est vox Salutationis tue* Luc. 1. v. 44. & quasi foret Elisabethæ mancipium, quæ erat Domina Angelorum, in domesticis servitiis trimestre exigit: *mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus* Luc. 1. v. 56. Josepho similiter se postponit: *pater tuus & ego* Luc. 2. v. 48. imò inter Apostolos & discipulos ultimum locum capeffit teste Luca Act. 1. v. 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & MARIA matre JESU.* Quocirca de illa scripsit S. Ignatius M. *devotis devotius humiliabatur & reverentius.*

S. Ignat.
M. ep. ad
S. Joann.
Evangel.
S. Chrysostom.
de pœnit.
Achab.

Eodem Spiritu agebatur Doctor gentium qui de se: *peccatorum primus ego sum* 1. Tim. 1. v. 15. *ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus* 1. Cor. 15. v. 9. in quæ verba aureè Chrysostomus: *hoc vere humilitas est in omnibus seipsum abjecere, ac se minimum appellare.* cogita quisnam eset is qui hæc verba proferebat. Paulus cœlorum civis, Ecclesiarum columna, terrestris Angelus, homo cœlestis. talis quippe virtutis est potentia, ut hominem in Angelum convertat, efficiatque ut anima velut pennis præedita in cœlum tendat. hucusque Amator Pauli Antiochenus Orator.

Paulum æmulatus terrestris ille Seraphinus paulò minoratus ab Angelis Franciscus Assisiæ, maximum peccatorum, teste Bonaventura dicere se solebat. Franciscum Seraphicum imitatus Franciscus Xaverius mortalium omnium nequissimum teste Tursellino se appellabat. minimæ Societatis Funda-

S. Bonav.
vitæ c. 6.
Tursellin.
l. 6. c. 8.

Ribat. in
Procesi.
Tolet.

dator Ignatius existimavit teste Ribadeneira, se omnibus hominibus pejorem.

Non concesserunt in hac sui despiciencia viris feminæ. S. Catharina Senensis causam se omnium calamitatum, hujus vitæ proclamabat. S. Theresia ex corde sentiebat maximam se mundi peccatricem, totoque corpore contractum tremebat; S. Maria Magdalena Pazzia Sacram Synaxin accessura à terra absorbendam se rebatur, dæmonibus similem & humilitatis domino indignam judicabat. Omitto innumerous alios, neque enim ullum cœlorum civem, esse arbitror, qui omnium minimum sese non æstimasset, unde Christus die novissimo electos omnes *Minorum* titulo compellabit: *quid fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mibi fecistis* Matth. 25. v. 40. quid ais, quærerit Chrysostomus, si fratres tui sunt, quomodo Minimos eos appellas? & respondet: *ideo fratres quia humiles, quia abjecti, quia Minimi.* Comparantur electi grano Sinapis, *quod minimum est omnibus seminibus* Matth. 13. v. 32. ut sciant, qui in immortales paradisi arbores volunt excrescere, minimos se reputare. *Minimus inter fratres Beniamini fuit, ideoque ceteris charior & typus electorum.* Minimum se censuit Gedeon, cum angelo diceret: *ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei Jud.* 6. v. 15. atque idcirco meruit, non tantum de manu Madianitarum liberari, sed & ceterorum agereliberatorem: *dixitque ei Dominus: ego ero tecum & percuties Madian quasi unum virum* v. 16. Minimum reipsa se habuit Josue cum deterrium pro se suisque posteris in distributione terræ Sanctæ locum elegit, Thamnatharan urbem diru-

tam, loco aspero & horrido, sterili & montoso sitam, de quo S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *satis mirata est Paula, quod distributor possessionum Josue sibi montana & aspera elegisset.* nimirum quia Josue typum IESU & Salvandorum exprimebat, idcirco loco ultimo ultimum ac vilissimum fundum sibi postulavit. Minimum se agnovit Saul, ideoque protorex Israelis à Samuele meruit consecrari. *respondens autem Saul ait: nunquid non filius Jemini ego sum de minima tribu Israel & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Beniamini?* 1. Regum 9. v. 21. & mansisset utinam Saul minimus in oculis suis; non enim modò temporale Israelis regnum, sed æternum in Empyreo imperium consecutus fuisset. Consecutus id est David, quia semper erat in oculis suis minimus, ceuin ætate: *David autem erat minimus* 1. Regum. 17. v. 14. Quotquot peccatores se maximos, mortalium minimos, novissimo loco infra Luciferum & tartari pavimentum ter dignissimos se esse arbitrantur, audiunt aliquando ex ore Christi illud repeti hodiernum: *Amice ascende superius.*

Electos nubibus assimilat Psalmi dum canit Psal. 134. v. 7. educens nubes ab extremo terræ. Cœlos decorant nubes, fœcundant terras, ipsumque cœlorum Regem suscipiunt, Cur ergo ab infima terræ parte generantur? cur non ex medio? cur non ex montium cacumine? quia per nubes intelliguntur electi, quos ab extremo humilitatis adducit Deus, ut adnotavit Origenes hom. 8. in Jerem. si volumus nubes fieri ad quas perveniat veritas Dei (veritas enim ejus usque ad nubes) novissimi omnium fiamus, ut illi conformemur, qui ait:

Cur ab extre-
mo deducat DE-
us nubes.

Gen. 42.
v. 13.

ego

ego sum Alpha & Omega, primus & novissimus, & quidem ideo primus, quia novissimus. *Gaudet summe DEUS* inquit Oleaster in c. 48. Gen. ex minoribus majores facere, ut si cupias major fieri, te facias minimum.

Guarr. Ser.
1. de purific.

Utinam (cum Guerrico exclamo & finio) nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè Sancti habuerunt in virtutibus suis! ô si vel cum Publicano peccatum tundente serio dicamus: mea culpa! mea culpa! major quam omnium qui sunt, fuerunt, erunt hominum, major quam omnium reproborum & dæmonum mea maxima culpa.

Pro Emblemate Spicam gravis gravidam, ideoque in terras pronam fingo cum lemmate: quia plena, frugiferæ plenitudinis typus est illa demissio; nemo enim infra alios se demittit ex animo, nisi cuius animus plenus est virtutum. Spicis Pomum appono fructibus turgidam, cui vetus inscribo lemma: *inopem me copia fecit.* Copia virtutum facit, ut Viri sancti patientes se spiritu inopes, & manent semper corde humiles.

S. 7.
Emblema.



O 3 PRO